

EPITAPHIUM.


**F**rigida in hoc tumulo SEIDELI membra teguntur,  
 Qui fuit Aoniꝝ gloria summa chori.  
 Namq; scholæ rexit fidus Præceptor habenas,  
 Præstantesq; suâ reddidit arte viros.  
 Sed quoniam superis ita visum: membra quiescant  
 Hoc tumulo: vivat Spiritus ante DEUM.

Præceptori suo fidelis. gratitu-  
 dinis & *συνταβέας* declarandæ  
 ergò faciebat,  
 Vincentius Scultetus  
 Hirschbergâ-Sil.



Epitaphium,


**D**octrinâ excellens & dignus laude perenni  
 Seidelius jacet hac contumulatus humo  
 Qui docuit teneram multa cum fruge juventam,  
 Atq; fuit generis splendor honosq; sui.  
 Johannes Ostius  
 Vratislaviensis.



*Viri Reverendi atq;ve  
 integerrimi*


**PETRI THEBESI**  
 SENIORIS,  
 Seiffersdorffianæ in Lig.  
 Ducat. Ecclesiæ  
 Pastoris qvondam  
 spectatis.

**MEMORIÆ**  
 DIC.  
 ARÆ HONO-  
 RARIÆ:



ab Amicis & FILIIS  
 pos.

*Typis Lig. Sartorianis.*





AD TUMULUM.  
Amici veteris, Compatriſq;  
deſideratiſ.

MORS ubi THEBESIIUM ſibi tanto obſiſtere niſi,  
Imperiſq;ve animas tot rapere uſq; ſuo,  
Vidit, adorta virum, & cælo, unde erat ille, remittens,  
Quò duxiſti alios, tu quoq;ve, dixit, eas.  
Vah vindicta bonum! Nempe ad cæleſtia ſecla  
Tramite Doctores hoc iuvat ire pios.

M. SIMON GRUNÆUS  
Lig. & Wol. Eccleſiar.  
Superintendens.



537330

Manibus PETRI THEBESI

Sacrum.

Vellem equidem, deberem etiam Te flere querelis  
THEBESI: docto carmine dignus eras.

At meus ingrato decurrit tramite verſus,  
Offenſo qualis labitur unda pede:  
Dedidicit numeros etenim mea Muſa; ſed unde?  
Per tempus luſtri deſidioſa fuit.

Nec tamen eſt fas, ſic vigiles ſopire dolores,  
Annua quos fecit funeris hora Tui.

Quin anni ſenio quamvis mulcere volebam,  
Poſt annum luſtus hic tamen uſq; redit.

Uſq; adeo deſlendus ades, quò dicere cogar,  
Deſidioſa nigras ſolve Elegia comas:

Solve comas jubeo, ſtuidos abſtergere poſſim

Quæ oculos, ejus dum cio voce animas;

Dum cio, dum laudes magnas deguſto magiſtri

THEBESI noſtri, dum tria verba loquor.

Scilicet huic Pietas, Doctrina, Modeſtia laudem

Ex vero veram contribuere Viro.

Prima fuit Pietas, ſine qua nil gloria mundi,

Nempe Deo ſoli relligioſus erat.

Et magis exemplo, quam dictis ſacra docebat,

Hic Rhodus, hic ſaltes tu mihi, praco Dei.

Proxima laudatur meritò Doctrina priori

Addita: nam Praxin ſic Theoria iuvat.

A 2

Ultima



Ultima nec Probitas aberat Virtusq; modesta,  
 Dissidii fugitans, iustitiaq; tenax.  
 Testis eris luctus o Seiffersdorffia consors,  
 Quam docuit longo tempore verba Dei.  
 Nam per bis denos annos cum sacra subisset,  
 Tandem illi octavus lethifer annus erat,  
 Sicq; sibi atq; aliis decies sex egerat annos  
 Postquam illi extremum mittit Iova diem.  
 Vermibus exuviae cesserunt corporis esca,  
 Lege ratâ: excelsi mens subit astra poli.  
 Pars terra sua nempe data est, pars reddita Olympo,  
 Qualibet ad fontes, unde profecta, redit.  
 Desuit esse Tibi viduata marita Maritus;  
 Desuit esse Tibi mascula triga Pater;  
 Desuit esse Tibi mea Seiffersdorffia Doctor,  
 Immo Tibi Doctor desuit, atq; Pater.  
 Desuit immo Tibi Doctor, Pater, atq; Maritus,  
 A Te sic trina voce dolendus erit.  
 Sed quid ego vulnus, quod vix coit, ungue secabo?  
 Desuit esse Tibi, haud desuit esse Deo.  
 Et nolles desuisse Tibi, si libera voti  
 Optio! quis cœli gaudia mutet humo?  
 Ecce quid hac vita est? Mors est: at pallida mors  
 Vitæ infinitæ perpetuanda quies. (quid?  
 Ergo piè haud quereris præmissum ad gaudia: cogent  
 Aut cras, aut hodie Te tua fata sequi.

Scilicet

Scilicet hac trudit lex ad vadinonia Mortis  
 Quemq; haud excusat fontica causa reum.  
 Fallor? an ex imo submurmurat Ipse pheretro?  
 Nil fallor; planis hæc bibo verba notis:  
 Non ego depositam fieri volo corporis umbram,  
 Namq; à præteritis hicce quiesco malis.  
 Sed volo ad incerta hæc certò Te fata parari:  
 Sic mihi, sicq; Tibi nil nocitura. Vale.

Apponebam  
 In defuncti honorem  
 Ad testandum erga illum amorem  
 Syncerumq; ob obitum dolorem  
 18. Calend. iobr. An. 1622.  
 DAVID à SCHWEINTZ  
 in Seiffersdorff.

CIPPUS HONORIS ET AMORIS  
 impositus sepulcro  
 Reverendi olim & meritissimi  
 THEOLOGI

DN. PETRI THEBESII Saganensis  
 Pastoris Seiffersdorffensis vigilantissimi,  
 qui sub Patriæ turbis, ex turbulenta tempesta-  
 te, per iudavapiav CHRISTIANAM, adspi-  
 ravit ad æternam serenitatem.

Qui rerum in Mundo cognoscit λήματα, Mundi  
 Despicit immundi maxima quæq; animo.  
 Omnia, dum currunt, cessant, decurrit honoris  
 Ipse gradus, rectè prospice, finis adest.

A 3

Sub



Sub thalamo tumulus, subq; ortu pallida surgit  
Mors, rapit hæc homines; sors capit ah! homines.  
Spernitur, in vitâ vita hæc, quæ plena malorum,  
Spernaces Mortis sunt quoq; Christicola.  
Sic adspernari decet hæc mortalia: fallit  
Blanda voluptatis sub specie species:  
Monstrum est: ipse memor Deus est fandi atq; ne-  
Præscribens Legis dæmonia certa sua. (nefandi  
Quàm fœlix, varios qui scit tolerare malorum  
Incurtus! vincit, fertq; Tropæa fides.  
Talis erat quondam, Zelo Pietatis in ipsâ  
Ornatus luctâ, THEBESIUS, cecidit.  
Ah cecidit! cecidit cum sancto hoc cura Magistro  
Virtutis, Christus cui modò dulcis erat.  
Jussa Dei memori docuit cum Mente, Sophistas  
Ridebat, stabilis Mens erat, una fides:  
Vaniloquo fingit sibi Pseudo-Ecclesia nugas  
Gutturæ, quid prosunt? nugæ agitant homines.  
Nosti hæc THEBESI, docuisti in tempore vitæ?  
Cur moreris? nescit virvida fama mori:  
Vivis, & ingenii Nati dant signa paterni;  
Sic Christo, Patriæ vivis in ingenio.  
O Nati nati sacro de Stemmata docti  
Æmula sit Patris Mens quoq; vestra pii!  
Curarum & Senii vos quondam, en! dulce levamen:  
Jova dedit vobis jura sacrata tribus.

Conjunctim

Conjunctim certate patris decorare labores,  
Estote æquales Mente, fide, Arte, Animo.  
Thespiadum in castris confictus vincere duos  
Nostis; sic nomen multiplicare bonum.  
Nil nisi Theologi Doctores esse potestunt:  
Scriptura est fidei regula sola mea:  
Lemma erat in vita Patris: sub Morte salutis  
Maxima spes fulsit pectore, re minimâ:  
Principium sine Principio, sub Morte videbat;  
Miles erat Christi, hoc sub Duce victor orat.  
En fugit vitæ scopulos, fœliciter omnem  
Complevit cursum, calica suspiciens.  
Ipsa marita oculos lacrymis cur sæpe rigavit?  
Cur plangunt Nati? ah! cor dolor excruciat.  
Anchora Consilii, generis stella, ipse domusq;  
THEBESIUS Rector lumina claudit, obit:  
Lumina Terrenæ Vitæ, sed lumine Cali  
Impletus, pleno lumine clara videt.  
O cessent lacrymæ! flens cedat nunc Heraclitus;  
Nulla Pater lacrymas cernit in arce Poli.  
Ad Cælos ivit, Cælorum gaudia spectat,  
Nulla angit tangit cura dolorq; Animum.  
Omnia falce metit gelida ah! Mors; Christe potenter  
Da mortis frangant aspera tela pii.

PETRUS



PETRUS THEBESIUS

*Αναγκαῖα μὴ ὄνειδος.*

THUS PETES, UBI RES.

**D**ic ubi res nostra? mortales nascimur omnes,  
Sub vitâ Mortem cernimus & lacrymas.  
Thura queunt recreare Animum, pete Thus, citò fo-  
Thus offer, Thuris ceu benè fragrat odor; (va  
Sic quoq; summa petit sanctorum oratio cali  
Tecta, his thuricremis sunt mala pulsa focis.  
Thus, ubi res, fortuna, petes, vel cum sit iniqua;  
Ipsa atas transit, Mors tacitè accelerat.  
Sic libare licet, pia Christo hac hostia laudis  
Pergrata est, Numen Thure precum colimus.  
Opie THEBESI! Celi sublimia regna  
Ingredieris, magno Thure litas Domino;  
Esq; ubi res, pete Thus, nos spem remq; inter opertam,  
Thure precum sequimur, cum gemitu sequimur.  
It gemitus querulus, geminant suspiria multi  
Sub Patriæ mala sunt culmine, fulmen adest,  
Dic ubi res, syncera quies, ubi dulcia Tempe?  
Exilium vitæ flebile terrificat.  
Nos urgent cladum variarum examina, Christi,  
Incola tu supera, Tempa ubi pulcra, Schola es.  
Thus nunc sume precum, vera libamina laudis  
Immola, & in Cælo, dic, mihi lata domus.

Desit

Desit in Cælo dolor omnis, membra timoris  
Non quassat clamor, confero sacra Deo.  
Vicit iter durum Pietas; Thus sume, vel inter  
Ut vincas lacrymas, fer prece Thura Deo.

à TOBIA SCHULERO

Pastore & Seniore Wol.

ex l. adfinitatis ex Profapiâ Saganensium

Paternâ profluentis piâ cum

*συμπύρις* 25. August.

Anno: BeLLigerante Deo tVrba qVlcta sVMVs.

**T**HEBESIUS doctâ Senior pietate verendus  
Pervigili sparsit dogmata dia fide.  
Sic Orco multam avertit prædam inter agrestes;  
Sic plantavit agros & Paradisiacos  
Vidit & indoluit Mors invida: Sæpius arcum  
Curvavit, telis sæpè senem petiit.  
Semper at erranti dextræ Deus abfuit: atrâ  
Sæpè pedes fixit cuspide, sæpè manus.  
Permittente Deo tandem ipsi, cum satur annis  
Esset, & implèsset officii numeros,  
Spiramenta animæ lethali vulnere rupit,  
Dum tetigit vitæ & cordis arundo scopum.  
Ceubene re gestâ rictu dedit illa cachinnum,  
Atq; ait: isthîc, hem! nunc metuende jaces!  
Leniter arridens THEBESIUS: oh Ego grates  
Ingentes habeo lusca Tyranna tibi.

B

Nil



Nil mihi tu demis, fessor nisi corporis artus;  
 Morbida membra habeas, morbida membra  
 Ostia mi pandis vitæ, dudum ire parato (vores.  
 Illuc, signavit quo mihi CHRISTUS iter;  
 Quoq; aliis digitum intendi: Qui semper oviclas  
 Rite mori docuit, non timet Ipse mori.  
 Quæ feci, facient Nati; nihil inde luceſſi  
 Accedet regnis, Mors truculenta tuis.  
 Hi quoq; vastabunt CHRISTO duce regna Satânis,  
 Proq; uno geminum te petet usq; caput.  
 Dixerat; atq; ita ovans cæli super astra volavit  
 Spiritus, excepit quem manus Aligerum.  
 Atq; CHRISTUS lauro hunc cinxit, servumq; fidelem  
 Mox intrare sui gaudia jussit HERI.  
 THEBESI qh salve cæli novus incola! CHRISTI  
 Præmia jô fidus tanta minister habet!

Affectus sui in def. testim add.  
 M. BARTHOLOMÆUS KERN:  
 Scholæ Lignic. R.

PETRUS THEBESIUS

*Per Anagrammatismum.*

TU UBI SPES ET RES.

**S**pes commune bonum cunctis mortalibus; ut quam  
 Is qui nil aliud, ceu Sophus inquit, habet.  
 Sperat pauper opes, agrotus membra valentis  
 Corporis, & melius cras fore forsan, ait.

Sperat

Sperat carceribus detentus libera crura:  
 Qui tamen aut gladio, aut sæpè perit laqueo.  
 Sperat nupturiens magna cum dote Maritam.  
 Et vacua hunc miserum sæpè crumena manet.  
 Sperat capturam largam Piscator & Auceps:  
 Sæpè sed is piscem nec capit, hic nec avem.  
 Spe lucri extremos currit Mercator ad Indos.  
 Cui tamen interdum Fata redire negant.  
 Speramus omnes meliora: sed ecce venire  
 Quotidie multi deteriora vident.  
 Usq; adeo verum est: Homini spes sola relicta est.  
 Cum dubia eventu sit tamen ista suo.  
 Spes prophana aio. Ast nunquam confusa recedit  
 Spes confisa DEO; ut pagina sacra monet.  
 Tu quoq; in infirmo sperabas, PETRE, salutem  
 Corpus solo, & vitæ tempora plura tuæ;  
 Verum sperabas. Aliter visum esse videmus,  
 Qui annorum statuit climata certa, DEO.  
 Nunc ubi SPES ET RES es, nomine teste, THEBESI;  
 Spes putà terricolis, Res putà cælicolis.  
 Spes etenim speciale bonum divina: Fideles  
 Duntaxat vitæ spem melioris habent.  
 Ergo quò potior Spe Res, felicior exstas  
 Nobis. Re, quod spe nos sumus, Ipse cluis.

PETRUS SCHULTETUS  
 Diaconus Wolaviensis.

B 2

Petrus



**P**etrus eras. Tibi Petra fuit curæ unica Christus.  
 Petræ huic cor novit fidere. Petrus eras.  
 Petræ sacrasti munia Christo.  
 Fixisse huc labor est omnia. Petrus eras.  
 Ergò quid egelido sub funere te remoretur,  
 Petrus ut esse simul nomine requeas?  
 Qvalis vita fuit, tali quoque morte coruscus  
 Jam factus, Petræ confociatus agis,  
 Atque novâ sanè in cathedrâ, super axe polorum,  
 Vitæ illustratus verba stupenda capis,  
 Et plenè demùm capies, quando excitus urnâ  
 Corpore, Serve veni, Serve fidelis ades,  
 Cumque animâ junctus, sejuncto cum agmine san-  
 Celica regna tene, commonefactus eris. (cto  
 Talis sors Petræ manet indubitata ministros!  
 Dulce hâc in petrâ est vivere, dulce mori.  
 Cernitis, ô Vidua hoc cum prole superstitè cunctâ,  
 Et tristi exprimitis pectore cordolium?  
 A Petrâ aversi luctum lacrymasque reportant.  
 In Petrâ fixos læta seqvela manet.

*Beati senis memoriam  
 ita venerans,*

Denatus labi, sursum hio.  
 M. LEONHARTUS BAUDISIUS.

Ad

## Ad M. AD. THEBESIUM.

**E**t DOLOR, & GEMITUS, & cœlica GAUDIA cor-  
 Hæc tria sunt animi signa probata pii. (dis;  
 Mens pia nulla datur crucis expers, atque doloris:  
 Ille dolor gemitus sufficit, atque preces:  
 Sub gemitu, precibusque piis nova gaudia gliscunt,  
 Gaudia de cœli nata sapore novo.  
 Hæc, ô THEBESI, Pietatis signa subintrās,  
 Ex obitu PATRIS quando dolendo doles.  
 Proderit ille dolor, gemitusque, precesque ciendo;  
 Proderit & gemitus, gaudia dando nova.

scrib.

M. JOH. SCHULTETUS  
 Pastor in Thiergarten.

**I**N CHRISTO vixit; CHRISTO est benè mortuus; immò  
 Vivit adhuc CHRISTO THEBESIUS senior.  
 Vivit; & in CHRISTO cinctus diademate lucis,  
 Æterna Aligerum gaudia carpit ovans.  
 Ille Ecclesiola tradens sacra dogmata verbi  
 Æterni VERBI gnarus adauxit opus:  
 Cordibus humanis studiosè inscripsit IESUM;  
 In IESU vitæ scriptus & ipse LIBRO.  
 Hinc est parta quies, hinc illi digna laborum  
 In CHRISTO merces solvitur astra super.

B3

Quis-



*Quisquis es exemplum senis huius ritè sequutus,  
Sis pius: & merces optima CHRISTUS erit.*

*Piæ condol. ergò adpos.*

*BARTHOLOMÆUS KERN  
Lignicensis.*

**I**

**TUMULUS.**

*in loco Cæmeterii amœniore  
extra Templ.*

**Q**ui facis hâc gressum, (si qui facis) hospes, & hæc  
Scire aliquid refert paucula; **SISTE** gradum. (**Te**  
**THEBESII** LUTEI MORTALES CORPORIS ISTHUC  
SUB SAXI MOLEM CONDIDIT EXSUVIAS.  
Depositum sancti Cineris non fornice Templi,  
Sed viridi circum cespite servat humus.  
Sic sibi Curavit Fieri illa Modestia, vivi  
Quæ mores numquam non comitata fuit,  
Illa gravis nulli, nulliq; injuria vita,  
Et simplex Pietas, & pia Simplicitas.  
Nec refert fortasse, ubi Tu post fata quiescas,  
Si Tibi tranquillum terra cubile dabit.  
Si **BONUS** es; Cineres **SALVERE** atq; ossa, **VIATOR**,  
Perpetuum inq; Urna Ver jube habere sua;  
Et **DIC**: Qui Christo-sacras ad cœlica Tempe  
Et viridis prati pascua duxit oves;  
Qui flores inter viridantes dégit & hortos,  
Heic, ubi tranquillus vixit obItq; Senex:  
Dignus, ut in viridi viridantis gramine Terræ,  
Dignus, ut in prati dormiat Elysiis!

**II. Arbor**

**II.**

*Arbor tumulo umbram præbens.*

**H**æc dextrâ plantata tuâ Cerasus, Pater, Umbram  
Ecce dat hanc umbræ non malè-grata Tuæ!  
Sed plantata **FIDE** Vitæ in te nobilis Arbor  
Umbram animæ æternam donat amica tuæ.  
Illa perit, quam dat planta Umbram terrea terræ:  
Hæc in cœlo Animam quæ manet Umbra, manet.

**III.**

*Parentis Opt. Iter Ultimum.*

**C**um Pater (excitus deductum nobile funus)  
Ultima Mundschicij viseret arva soli:  
Jamq; **VALE**-dicens abitum premitteret, æger,  
Non huc, o fili care, revertar, ait.  
O vocem verè præfagam funeris istam!  
O fati verè conscia verba sui!  
Ultima namq; fuit cari hæc via cara Parentis,  
Ultima quam Mortis deinde sequuta Via est.  
Per quam illuc ivit, quò dudum optavit, & illuc  
Quo fato tandem debuit ire suo.  
Scilicet hic vitæq; viæq; est terminus. Illuc  
Imus. Temporiùs-serius, Una Via est.  
Vita via est, Morsq; ipsa via est, Vita ipsaq; Mors est,  
Ipsa sed ad Vitam vitæq; Morsq; via est.  
Hæc Patri decursa via est. Viram ivit ad ipsam,  
Per vitæ & mortis hanc sine morte viam.  
Fortunate senex! & cui superare tot annos,  
Inter tot morbi semina, totq; neces,

**Et**



Et cui fatales patriæ, sua funera, turbas  
Declinare pio funere Jovæ dedit.  
Tu fugis hos vitæ, vitæ jam fesse, tumultus;  
Tu nunc æternæ tempora Pacis agis.  
SALVE O ergo VALEQ; tuâ, carissime, in Urnâ,  
Sancta Anima o iterum SALVE, iterumq; VALLE.  
Et quam lacrimulam parvam tibi pono Parenti  
Filius, hanc longi Carminis instar habe.

*Parenti Opt. Mer. Pos. F.*

*M. ADAMUS THEBESIUS*

*Mundschiciensium Pastor.*

---

MEMORIÆ  
*Parentis desideratiss.*

S.

UT stellæ nunquam intereunt, licet interiisse  
Indoctus credat, Sol ubi lustrat agros:  
Sic homo, stella DEI quondam formosa creatus,  
Atq; olim in cœlo Sideris instar habens,  
Non dici interiisse potest, licet improba Mundi  
Corda ferant vani judicium indicii.  
Dum vel ad Antipodas stella ignea mane reclinat,  
Vel Solem cursus pro ratione petit:  
Certè disparet; sed enim non interit. Et quæ  
Stella DEI vivi viva periret homo? (cro  
Neutiquam. Disparet homo quoq; quando Sepul-  
Sub pedibus nostris conditur in cineres;

Et

Et disparet homo, Solem, qui CHRISTUS IESUS  
Justitiæ est, quâdam proximitate petens.  
Utrumq; hunc cursum, Genitor dulcissime, curris  
Seiffersdorffensis stella sacrata poli,  
Et Natorum etiam, stella aurea, stella tuorum,  
Quicq; tuæ à lucis lumine quicquid habent.  
Occidis. Ah! nigram & terræ superinduis umbrâ;  
Occidis; & Christo stella propinqua micas.  
Hinc jam dispares nobis, nec lumine possunt  
Conjuncti, aut nati, vel sacra turba frui.  
Nunc quis stellarum cursum occasumq; valebit  
Josua, quisvè tuam mortem inhibere Pater?  
Sic iit omnis homo. Sic tu Pater optime iisti,  
Illam quam jussit Te DEUS ire viam;  
Illuc ivisti, benè ubi est, ubi gaudia pura.  
SIT BENE, SINT ANIMÆ GAUDIA PURA TUÆ!

*Grata pietatû ergo*

*F. filium*

*PETRUS THEBESIUS*

*Pastor in Seiffersdorff.*

---

Piis B. PAR. Manibus.

Pie, Religiosè, Fideliter:

Nam Te Religio nequit dissolvere lètho,  
Nec potuit Pietas eripuisse neci:

C

Nec



*Nec quam servasti fido sub pectore, terris  
 Amplius his voluit Te superesse, Fides:  
 O dulcis Genitor, Genitor mea vita! set eben!  
 Pallida lethifica Mortis imago jaces!  
 Mortis imago jaces! cui cor Pietate repletum,  
 Relligione animus, pectus & ora Fide:  
 Mortis imago jaces. Te lugent Ara Ministrum,  
 Mæsta Marita virum, Mascula triga Patrem.  
 At frustra! set enim Pietas tua sede locavit  
 Te æthereâ, æthercis participasq; bonis.  
 Relligione tuâ fulges ceu stella, DEUMQ;  
 Fecit in aternâ luce vidère Fides.  
 Vivis ubi, capis immarcescibilemq; coronam,  
 Quam meruit Pietas, Relligio, atq; Fides.*

### TUMULUS.

*Et neget unâ Hominis virtutes ire sepulcra,  
 Qui negat Atropicâ falce perire Deas.  
 Relligio cubat hoc tumulo, Pietasq; Fidesq;  
 Qui transis, Tres hæc, dic, periére Dea:*

Parenti desideratis.

F. F.

GEORGIUS.

Epigraphe

### Epigraphe Sepulcralis.

REVEREND. VIR.

PETRUS THEBESIUS  
SAGANENSIS

FIDUS AC INDUSTRIUS ECCLESIAE  
 SEIFERSDORFIANÆ PASTOR,  
 FATALIB. PATRIÆ CALAMITATIB.  
 TEMPESTIVE PRÆREPTUS,  
 H. S. L. CONDITUR.

CHRISTUM SINCERE DOCUIT  
ANNOS XXVIII.

CHRISTIANUM AD MODUM  
 INCULPATE VIXIT  
 ANN. LXI.

IN CHRISTO DEMUM PIE  
 BEATEQ; OBIIT

AN. EJUSD. MDCXXI. M. OCTOB.  
 D. XXV.

BARBARA HANSELIA UXOR  
 MARITO PER ANN. XXVI.  
 CONJUNCTISS.

M. ADAMUS, PETRUS, GEORGIUS  
 FILII PARENTI DESIDERA-  
 TISS: OPT. Q. MER.  
 MON. MÆR. POSS.

•••••



## Obitum

**D. N. GREGORII  
WEISKEGEL,**

singularis exempli VIRI,  
CIVIS

inclutā VRATISLAVIENSIIUM Republica;  
& SENIORIS  
honoratissimā ZYTHOPOLARUM tribu,  
dignissimū;

*A. D. xiv. Calendarum Septembr.*

*Anni Christiani*

*cl. l. cxxv.*

*vita integerrimè transactæ officio  
piè placideq; defuncti*

*lugebant,*

*luctumq;*

EPICEDIIS & EPITAPHIIS sequentibus  
testificari volebant,

**AMICI.**

